

Quæ sit certitudo scientiæ possibilium, &c. 35

Hinc autem quia talia attributa omnia in Deo juncta sunt, sequitur Deum posse illa omnia pariter jungere in quocunque ente voluerit, aut certè ex omnibus multa: si enim possunt participari, multò faciliùs possunt jungi. Quare jungi possent attributa Angeli & leonis; tum attributa hominis & capræ; tum rursus attributa equi & lapidis, &c. Unde Angelus esset leo; & homo capra; & equus lapis, &c. Igitur in hunc modum res maxime impossibiles & supra modum omnem chimericæ forent omnino possibiles. Quare convenientius est prædictam participabilitatem negare & aliò recurrere pro exponenda certitudine scientiæ Divinæ de possibilibus.

Respondendo, & pro tuenda hypothese, quæ verissima est, participabilitatis essentialis Divinæ, dico sic ad illa duo, quæ Adversarius advertit & in sententiam suam pertrahit. Ad primum itaque fateor nihil in Deo non Divinum esse, quatenus nihil in Deo est sejunctum à cæteris, quæ Dei sunt; & in hoc sensu nihil ex omnibus, quæ in Deo sunt potest participari. Sed adest alius sensus, in quo non quidquid in Deo est, Divinum est, & sic participabile est. Is autem sensus ille est, qui ab obiectante, vel invito, subindicatur referendus ad innumerabiles Divinæ cujuslibet perfectionis gradus, qui seorsum accepti finiti sunt per æquivalentiam ad finitos. Neque à Deo non magis quàm ab homine removenda est ista talium graduum consideratio; quia omnis perfectio non potest considerari ut major, nisi propter minores in ipsa contentas, sive, quod idem est, propter gradus ejusdem perfectionis alios aliis superadditos, aut quasi superadditos.

Afferri in exemplum potest vis motrix hominis adulti, cujus utique vim, si robusta fuerit, vocamus humanam. At in illa vi humana vires continentur inferiores, quæ nec humanæ sunt, nec dicuntur; & juxta quas vir ille robustus potest aliquid aut debilitate movere, ut puer, aut timidè, ut muliercula. Quod exemplum si ad vim motricem Divinam transferatur, quæ ex hoc quòd infinita sit Divina dicitur, probat non omnem vim, quæ Deus aliquid movet, esse Divinam; uti quoties temperatè movet & accommodatè ad exigentiam rei leviter movendæ.

Neque aliter discurrendum de viribus intensivis & extensivis cujusvis attributi Divini, & quas proinde nunc prout Divinas, nunc prout non Divinas licebit cogitare; scilicet prout Divinas, quando cogitantur ut sunt, & prout non Divinas

XXX.
Ex hoc probant ex re-
tum impossi-
bilitatem pe-
rinde ac pos-
sibilitatem at-
tributis in-
Deo con-
jungendis.

XXXI.
Perfectio-
nes Divinæ
licet infinitæ,
suos habent
gradus finitos,
scilicet æquiva-
lent, & ita
correspondentes
perfecti-
onibus nostris.

XXXII.
Sic vires
hominis ma-
jores contin-
ent sub se
minores, quas
ad libitum
moderatur.

XXXIII.
Sic etiam
Deus ex ar-
bitrio plas-
mat, sive po-
tentem ac